



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

LV. Quomodo fratres coniugati habeantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

L III.

Vt infirmis necessaria semper dentur.

Procuratoribus vero infirmantium omni obseruantia atque peruigili cura præcipimus, vt quæcumque sustentationi diuersarum infirmitatum sunt necessaria fideliter ac diligenter iuxta domus facultatem eis administrent, verbi gratia, carnem & volatilia, & cetera, donec sanitati restituantur.

L IV.

Vt alter alterum ad iram non prouocet.

Præcaudendum nempe non modicum est, ne aliquis aliquem commouere ad iram præsumat, quia propinquitatis & diuinæ fraternitatis tam pauperes quam potentes summa clementia æqualiter adstrinxit.

L V.

Quomodo fratres coniugati habeantur.

Fratres autem coniugatos hoc modo habere vobis permittimus, vt, si fraternitatis vestræ beneficium & participationem petunt, vterque suæ substantiæ portionem, & quidquid amplius acquisierint, vnitati communis capituli post mortem concedant, & interim honestam vitam exerceant, & bonum agere fratribus studeant, sed veste candida, & chlamyde alba non incedant. Si vero maritus ante obierit, partem suam fratribus relinquat, & coniux de altera vitæ sustentamentum habeat: hoc enim iniustum consideramus, vt cum fratribus Deo castitatem promittentibus fratres huiusmodi in una eademque domo maneant.

L VI.

Vt amplius sorores non habeantur.

Sorores quidem amplius periculorum est coadunare; quia antiquus hostis femineo confortio complures expulit a recto tramite paradisi. Itaque, fratres carissimi, vt integritatis flos inter vos semper appareat, hac consuetudine amodo vti non licet.